



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,  
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte  
Orandi & meditandi methodo**

**Balsamo, Ignazio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1612**

Discretio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

ritur, vt nihil ferè æquè sit necessarium. Etenim si corpus, quod est animæ instrumentum, in functionibus suis, languet, anima nunquam poterit rectè orare aut meditari: quemadmodum scriptor, si penna malè aptata sit, nunquam poterit litteras benè pingere. Maximè verò curandum est, vt caput benè se habeat.

DISCRETIO CVM RECTA  
*intentione.*

**Q**UAMVIS ad sanctum hoc orationis & meditationis exercitium, oporteat omnem diligentiam possibilem adferre, totum studium huc conferendo, vt omnia ad illud requisita singulatim obseruemus: nihilominus cauendum erit ab omni violentia indiscreta animi vel corporis, quæ nihil aliud est quam illusio diabolica, quo nos per indiscretionem debilitatos, postea ab orationis exercitio abstrahat: qualis est, lachrymas violenter exprimere

mere, genibus flexis vsque ad notabilem corporis fatigationem manere, & alia eiusmodi. sed oportet se suauiter & humiliter gerere, atque cum Propheta dicere, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Præterea ad hoc exercitium, uti ad alias actiones omnes adferre oportet, bonam & sanctam intentionem, ut non quærat quis semetipsum, vel gustum & consolationem suam, sed purum Dei honorem ac beneplacitum.

*SIMPLICITAS, HUMILITAS,*  
*reuerentia, & puritas con-*  
*scientia.*

**S**IMPLICITAS debet esse orationis focia, ut non quærat quis subtilia, & curiosa in meditatione, uti sunt elegantes conceptus, vel insolitæ visiones: quia Deus cum non curiosis, sed cum simplicibus esse & conuersari amat. *Et cum simplicibus sermocinatio eius.* Adde quod simplices ad orationem & meditationem videantur esse quàm maximè apti, & diuinarum illustrationum capaces.

*Prou. 3.*